



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XX. Hortatur ad magnænimitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

ribus, tanquàm comparticipes, & cohæredes infinitæ hæreditatis, & lætitiæ meæ.

CAP. XX.

Hortatur ad magnanimitatem.

SI sciretis, charissimi filij, quàm magna sit domus mea, & ingens locus possessionis meæ, omnes labores, sudores, & martyria sanctorum meorum, exercitia leuia vobis viderentur. Ineffabilia enim sunt præmia, & solatia Iustorum, quæ præparavi in abscondito faciei meæ. Et licet omnia hominis membra verterentur in linguas, frustra laboraret omnis humana eloquentia, tanquàm, qui vase modico totum Oceanum vellet includere. Leuate oculos vestros in montes, & infinitam remunerationem sæpissimè cogitate: vt magna semper operemini. Respici- te amatores mundi, qui terrenos principatus ambiunt, quam liberaliter opes suas effundant, quàm difficiles actus exercent, quàm graues repulsas, dolores, & amaritudines, è calice demoniorum bibant: quæ tamen omnia
æquo

æquo animo ferunt, modò per exiguum tempus regnent. Quare ergo vos, qui mecum sine fine regnaturi estis, manus dissolutas, & genua debilia ad magnos labores, & agones non roboratis? Dixerunt milites Holofernis inimici mei, Iudith pulchritudinem admirantes: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his, meritò pugnare contra eos debeamus? Quomodo igitur, pro dulcissima pulchritudine supernæ Ierusalem, vos ignavi, filij mei, non animosè dimicatis? Parùm magnanimi estis, & nequè me, nequè amoris erga vos mei magnitudinem æstimatis. Nunquid ego vnquam dixi: Possum filios Adæ vna gutta sanguinis redimere, & reconciliare elementissimo Patri meo: nolo ergo totum sanguinem profunderè, tot dolores, & ignominias hominum causa tolerare? Certè sine vllò termino, intrauerunt aquæ vsque ad animam meam; & cum essem infixus in limo profundi, Pater meus omnes fluctus suos induxit super me. Propter vos, filij, ve-

ni in altitudinem maris magni: & tē-
 pestas tribulationum demersit me. Ut
 quid ergo parcē mihi seruire, & non
 potius, quæ retro sunt, obliuiscētes,
 ad anteriora vos extendere certatis?
 Contemnite parua, & mediocria, mi-
 lites mei, & scuto fidei, galeaque salu-
 tis armati, per infamiam, & bonam
 famam, per aduersa, & prospera, à dex-
 tris, & à sinistris, ad magnos honores,
 & coronas immortales dimicāte. Qui
 vicerit, dabo ei sedere mecum in thro-
 no meo: sicut, & ego vici, & sedeo cum
 Altissimo Patre meo.

CAP. XXI.

Hortatur ad orationem.

SI victoriam vitiorum, & passionum
 desideratis, filij mei; si ascensiones
 in corde disponere, & ad cor altum ac-
 cedere optatis corda sursum erigite, &
 orationis studio magnam diei partem
 consecrate. Ego enim diligo portas Si-
 on, vbi exercetur cælestis conuersatio,
 qua nihil est in terris amabilius. Ibi
 spirat suauissima virtutum fragrantia,
 quæ